

opus processu erit: (1) *observemus, num ea, qua erga nos profitentur, etiam profiteantur erga alios.* A Tergo enim & Fronte, nisi decipi velimus, inspiciendi Amici sunt. (2)  *fingamus conatus absurdos, & Judicium eorum de iis expetamus;* sic ex dato assensu angvillam sub herba deprehensuri sumus. (3)  *fingamus casum, & quoad ea efflagitemus illorum auxilium, in quibus praeteris duros esse constat;* sic amicos certos in re incerta cognoscemus. (4)  *Fictis secretis Fidem & Taciturnitatem ipsorum exploremus;* & sic probata Taciturnitas non postrema Amicitiae Nota erit.

29.

(4)  *Conservatio Amicorum procuranda est.* Docet enim *Experientia*, quod probati etiam Amici haud raro defecerint. Hunc vero in modum videntur conservari posse: (1)  *si praecaveamus, ne in aliorum Familiaritatem incidant;* aliam enim facile rumpetur Amicitiae vinculum. (2)  *si ab iis secreta quadam prudenter eliciamus, quae ne detegantur, multum eorum intersit.* Sic semper habebunt, quod timeant, & in pristina Amicitia perseverabunt tanto constantiores.

30.

Restat, ut de *inferiorum* quoque conciliatione dicamus, quorum pariter suum fructum pollicetur *Benevolentia.* Habebimus enim ex iis, qui nobis ministrare poterunt; habebimus, qui Relationes non ingratas saepius ad nos delaturi sunt; habebimus tandem, qui laudibus & Commendationibus multorum nobis concilia-

C

bunt